



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Petro monoculo Abbate Clareuallis, cui in ecclesia Spirensi sancta  
Maria benedictionem dedit, cap. 11.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

precor ut exemplis mihi ostendas, quātis & qualibet per eam iusti revelationibus consolentur. CÆSARIVS: Quam mirificè iustos sibi seruiētes sancta Dei genitrix virgo Maria consoletur, ex paucis, quę subijciam, cognoscere poteris exemplis.

## CAPVT XI.

*B. Virgo  
Maria  
etiā in-  
fios con-  
solatur.*

**C**Ausa extitit, ut quidam ex Abbatibus ordinis nostri pro negotio ordinis ad Henricum Imperatorem filium Frederici mitterentur, inter quos præcipuus videbatur tam sanctitate, quam dignitate, dominus Petrus monoculus Abbas Clarauallis, cuius mentio habita est in distinctione sexta cap. 11. Et quia dominus Cisterciensis in propria persona venire non potuit, Priorem pro se misit. Venientibus eis Spiram, cum in ecclesia beatae Dei genitricis semperq; Virginis Mariæ, cuius structura stupendę magnitudinis est, orassent, cunctis ocyus ab oratione surgentibus, & eiusdę ecclesię ædificia circuistrando considerantibus, iam dictus Petrus (cuius cogitatus & delectatio non fuit ædificijs corruptibilibus, sed in structura Ierusalem cęlestis) in oratione perseverauit. Tandem omnibus egressis, cum in porticu ecclesię & canonicis honorificè fuissent salutati, & cum instantia multa ad prandium inuitati, requisitum est a quodam Abbate, in cuius honorẽ ecclesia esset consecrata. Respondentibus clericis in honorem Domine nostrę sanctę Mariæ, Abbas Clarauallis inconsideratę subjunxit: Et ego sciebā. Quod verbū Prior Cistercij cōsiderās, tūc quidē tacuit, sed mox ut egressi sunt ciuitatē, eiusdem verbi recordatus, ait Abbati: Domine Abba, dicite mihi, vnde sciebatis Spirense monasteriū in honorem domine nostrę fuisse consecratū? Ille de verbo prolato dolens, respōdit: Visum est mihi bene dicere, ut tam mirificę structurę patrona foret mater Dei, & cęlorū regina. Prior bene cognosces eius sanctitatem, & quia aliquid sibi in ecclesia reuelatū fuisset ex responsione conjiciens, adjecit: Ego in hac vice vicem gero domini Abbatis Cisterciensis, in cuius auctoritate vobis præcipio, ut non mihi dicatis nisi veritatem.



ratem. Tunc ille obedientia arctatus, cum verecun-  
dia respondit: Quando prostratus coram altari pro  
peccatis meis, & viæ negligētis, attentius orati, ipsa  
beata virgo Maria mihi apparet, benedictione, quam  
ordo noster super redeuntes de via dicere consuevit,  
super me dedit in hæc verba: Omnipotens sempiternæ  
Deus, miserere huic famulo tuo, & quicquid ei in via  
subripuit visus, aut auditus malæ rei, aut otiosi sermo-  
nis, totum ineffabili pietatē propitiatus indulge, per  
Christum Dominum nostrum. Hæc mihi relata sunt  
à quodam Abbate religioso ordinis nostri, in cuius  
domo idem Petrus sapius visitauit. Ex benedictione  
eius intellexit, eam ibidem fuisse patronam. APOLLO-  
NIVS: Felix oratio, per quam tantæ Virginis meretur  
benedictio. CÆSARIVS: Non solùm orantes, sed etiam  
psallentes, sua benedictione consolari consuevit.

## CAPVT XII.

**H**enricus Conuersus in Hemmenrode, cuius  
memini in distinctione quinta, cap. quinto, lo-  
quens de dæmonibus, sæpius, in solennitatibus  
maximè, gloriosam Virginem Mariam inter psallentes  
videre consuevit. Quæ nocte quadam, ipso intue-  
te, de choro monachorum veniens, Dei filium ex se  
natum in brachijs gestans, chorum ingressa est Con-  
uersorū, & more Abbatis fratres excitando circūiens,  
ante quosdā, qui in oratione vigiles erant & deuoti,  
gradū fixit, filium eis ostendens, ac benedicens, deu-  
otioni illorum cōgratulādo: tepidos autem & dormiē-  
tes celerit̄ pertransiit, nil consolationis eis impen-  
dēs. Singulos verò Conuersos in illa cœlesti circuitio-  
ne visitatos nec non & neglectos prædictus Conuer-  
sus diligenter notauit, singulos domino Hermanno  
tunc ibidem Priori, nunc loci sanctæ Mariæ Abbati,  
nominatim exprimens. Hæc ab eius ore audiui. APOL-  
LONIVS: Simile recordor te dixisse in prima distinct.  
cap. 35. de Godefrido monacho Vilarienti. CÆSARIVS:  
Tanta charitate beata Virgo Maria sibi deuorè famu-  
lantes complectitur, vt non solùm orantibus, non so-  
lùm psallentibus, sed etiam dormientibus benedicat.